

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

PALUDIBUS ET MORBIS

AB EXHALATIONIBUS EARUM PROVOCATIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS
ET DIRECTORIS, SPECTABILIS DOMINI DECANI, NEC NON
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM, PRO GRADU DOCTORIS
MEDICINAE RITE OBTINENDO, IN ALMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE PESTIENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

FRANCISCUS PAPP,

KÖRÖS-TARTSAINO BÉKÉSIENSIS.

Theses adnexae defendentur in Palatio Universitatis
maiore die Julii 1834.

PESTINI,

TYPIS LANDERERIANIS.

Pr o o e m i u m.

Si quid est, quod attentione medici legislatoris, et philanthropi cujus -piam dignum se unquam reddiderat; hoc jure optimo de paludibus, quarum copia et extensio — pro dolor! insignis ad hoc usque tempus in incultis aequae, ac in florentissimis statibus invenitur; et de hominibus, regiones paludosas incolentibus, qui veluti Parias — inter populos fortunatos, miserriam vitam, nec a statu, nec ab Ecclesia pro poena illis impositam ducunt — possumus pronuciare.

Cum in hac dissertatiuncula in materiam tanti momenti describendam manus admovissem, nihil dubitavi, fore plerosque, qui lecto hujus titulo, laeto gaudii percutiantur sensu, sperantes, se in hac multum de paludibus Hungariae, quam graviter hac labe premi noverunt — inventuros esse. Ubi vero eam perlegerint, et se spe delusos sentient, summopere rogati, velint se ab acri abstinere judicio, ad animum referentes: mihi sub cursu academico impossibile fuisse, propria experientia et observatione debite hac in re edoceri, fontes vero, e quibus fidenter haurire potuissem, huc usque deficere, nolint inquam judicare, sed potius suum, cum ardentissimo meo desiderio conjungant, optentque mecum ex animo, ut medici, qui in regionibus paludosis habebunt occasionem praxim exercendi, vestigiis antecessorum suorum, vel ipsas observationes, vel fors divulgationes harum scriptotenus suscipiendas abhorrentium, minime insistentes; paludes, stagna et lacus physice et chemice describere — ipsius paludis, stagni et lacus naturam individuaalem, morborumque circa has frequentius occurrentium characterem, qua par est, delineare non intermittant, ut

sic ipsimet non ignari malorum, quae in proprio foveamus gremio, ab illis debita praecautio nos tutos praestemus; sed quod aequè ita desiderandum est, ea etiam de causa, ut extranei, rectam sibi de patria nostra in hac quoque parte notitiam comparantes, eam post relationes itineratorum iniquorum indiscretis expressionibus onerare, foedam pestium cavernam, morborumque malignissimorum sedem appellare, ultro cessent.

Interim, dum hic laetus et cuilibet Hungaro quantocyus optandus illucescet dies, plura de hac materia, quam mihi, paucis tantum licuit attingere verbis, lecturi, consulant librum celeberrimi: Monfalcon insignitum: *Histoire médicale des marais et traité des maladies causées par les emanations des eaux stagnantes*. Paris 1824. Quem ipse ego praecipuis secutus sum. De eadem materia legi possunt etiam:

Lancisius. De noxiis paludum effluviis Gen. 1718.

Caillard. *Memoires sur les dangers des emanations marécageuses et c.* Paris 1816.

Julia de Fontanelle. *Recherches historiques, chimiques et médicales sur l'air marécageux* Paris 1823.

Estourmel sur l'amélioration des prairies marécageuses Lyon 1812.

Levasor. *Méthode générale et particulière puisée dans la véritable source, pour le dessèchement des marais et des terres noyées*. Paris 1788.

Pellet dissertatio de palustrum locorum insalubritate a miasmate oriunda. Edinburg 1779.

Sebastian, über die Sumpfwchselfieber im Allgemeinen, und vorzüglich diejenigen, welche in Holland epidemisch herrschen. Carlsruhe 1815.

Kirchhoff. *Considerations pratiques sur les fièvres intermittentes, avec des Avis sur les moyens de s'en préserver dans les localités humides et marécageuses*. Amsterdam 1825.

Nepple. *Essai sur les fièvre, re- et intermittentes des pays marécageux tempérés*. Paris 1828.

Reider. *Untersuchungen über die epidemischen Sumpfwchselfieber*. Leipzig 1829.

PARS PRIMA.

De paludibus, lacubus et exhalationibus aquarum stagnantium.

Imbres, in regno quodam depresso, acclivitatibusque ac canalibus carente, saepe recurrentes; concentratio aquarum e montibus defluentium in unum planitiei locum; eruptio fluviorum ex alveis, mariumque ex littoribus originem et pabulum paludibus impertiri consuescunt. *) Hoc fit praecipue, cum planities vel convallaria montium ita constituta sunt, ut aqua, quibus fortuito inundata sunt, ex iis deferri nequeat; interim ejus copia major est, quam quae evaporet, vel a terra resorbeatur. Saepe multa et ingentia terrarum frusta, plantaeque a torrentibus sylvarum vi evulsae ac abreptae obstant, quominus aquae defluant. Regiones crebris exundationibus obnoxiae, magnam producunt vegetabilium multitudinem, quae illas, qua late patent, in paludes convertunt.

Fluviorum et fluminum alii ex paludibus prosiliunt: uti Dnieper, Niemen, Dwina et Albis; alii in eisdem evanescent. Tales in quinque orbis terrarum partibus numerosi reperiuntur, inter quos exempli causa Guadianam tantum in Hispania, qui in paludem transiens, non prius quam post quinque milliaria emensa inde egreditur; et fluvium Hungariae Berettyó caput suum in palude Sárrét dicta abscondentem; absoluto mox aliquot milliarium itinere illud denuo extollentem, undasque ita malorum paludosorum participes et viribus quasi exhaustas, lento cursu in Chrysium exonerantem, commemorasse sufficiat.

Paludes, medicorum attentionem e respectu duplici merentur: 1) Propter exhalationem continuam, ardente prae-

*) Alii, aliter paludes definiunt. Sic Monfalcon non inepte, paludis nomine eam insignit terrae plagam, cujus fundum massa argillacea, substantiaeque organicae praepressis autem vegetabiles, superficie vero aqua stagnans efficiunt.

primis Sirio. 2) Propter ingentem vegetabilium aequae ac animalium substantiarum multitudinem, quae huic exhalationi proprium imprimunt characterem.

Cum paludes ejusdem climatis, multum a se invicem discrepantes inveniamus, earum proprietates a climate dependere non affirmamus, imo ingenue fatemur, nos in hac re nihil certi stabilire posse, praeterquam quod earum fundus ex humo (terre vegetale), terra calcaria, argillacea, silicea et varie nexis ac convolutis substantiarum organicarum, praecipue vegetabilium reliquiis Turfa dictis formetur. Ubi in vicinia paludum fontes ferri sulfurici divites effunduntur; fundus aquarum stagnantium sulfate ferri, frutices vero et arbores — affirmante Patrin — oxydo ferri penetrantur.

Innumerabilis illa vegetabilium et animalium multitudo, quae in paludibus et stagnis videtur, nullis sub circumstantiis generatur, sed solius coeni palustris, putidum viventium seminarium constituentis, soboles ac accola dici potest. Plantarum aliae — juxta Decandolle — in aqua dulci vegetant, hujusque lymphis desidibus vel supernatant, aut fluitant, quemadmodum lemnae, confervae, ulvae, nymphaeae; vel fundum petunt, atque oras obsident: uti potamogetones, myriophylla, spargania, carices, typhae, aliaeque plura arundineam et junceam sepe formantia. Aliae aquam salsam amant: uti species quaedam sodae et salicorniae. Illae et tamarix muriatem natri (non desunt enim aquae stagnantes, quae hoc quoque salis genere abundant) in fundo haerentem dissolvunt, partiumque ejus quodammodo participes fiunt. Animalium ovula sive ingenta, sive illuc transvecta, cum ad palustrem locum pertingunt, tepido leniuntur odore, atque in multigena insecta, vermes, angves, ranas et bufones desidum aquarum hospites facile manifestantur.

Lacus, qui aquis stantibus aequae adnumerantur ac paludes, quique multum saepe lucri possessoribus suis important, sanitati publicae sub iis tantum circumstantiis struunt insidias; si minoris extensionis; minori aquae quantitate provisi, et per calorem solis, vel aquaeductum artificialem in paludes fuerint conversi.

De quibus hucdum locuti sumus paludes, sub memoratis rerum adjunctis, ipsa — ut videtur — in perniciem hominum natura exstruit. Nos, his quasi incontenti, in id ope-

ram damus, ut novas, non minus periculi minantes nobis arte paremus: intelligo paludes oryzae colendae (quibus Italia et America meridionalis abundat), sali culinari coquendo (in Gallia praecipue, America et Asia numerosae), et lino ac cannabi macerandae dicatas.

Exhalationes paludum, sub diversis climatibus effectus exerunt diversos. Sic climatis temperatura insignem corporis humani causat modificationem. Haec iterum morborum sedem et naturam modificat. Morborum ita modifierum in organismum influxus multum denuo modificatur a temperatura solo paludoso propria, et morbosa incolarum diatesi. Effluvia paludosa in climate fervido majori semper terrent periculo quam in frigido, quippe quae in Germania febrim tertianam; in Hungaria typhum contagiosum, qualis sub nomine febris pannonicae Anno 1566 — adnotante Sennerto — ibidem erupit; in Italia hemitritaeam pyrexiam; in Aegypto typhum anthracicum seu bubonicum producant. Quo temperatura elatior, morborum decursus ut *Bégin* et *Fournier* recte observarunt, eo celerior, infaustior, eorumque cum adfectione systematis nervosi complicatio eo est frequentior. — In Hollandia febres quotidianae, tertianae et quartanae cum decursu chronico maxime communes. Morbi in Hungaria typhum remittentem sequuntur, et plurimae hic quotannis dysenteriae malignae cadunt victimae. Febres brevissima apyrexia et saepe insolitis symptomatibus stipatae tantum in Italia ad paludes Pontinas jam priscis Romae temporibus injecit timorem, ut fanum in Palatio consecraretur, atque Febris, — teste *Tullio* — Deae instar religiose coleretur. In Hispania febribus, vomitus niger, pallor cutis, et delirium semet adsociant, eaeque propius accedunt febres typi remittentis vel continui, Asiam et Africam depopulantes.

Paludes Zonaе torridae.

Americam omnem, et insulas adjacentes magna inundat aquarum stagnantium copia, — a quibus tamen maxime pars ejus meridionalis et Insulae Antillae, Jamaica, St. Domingo — Martinique patiuntur. Sub zona torrida multas haec plaga regiones incolis suis privavit: e. g. St. Luciam, etc. Ast cum America meridionalis plectitur, nec Septemtrionalis incommodorum aquarum stativantium experta manet. Nam sicut

illa multum a febris icterode; plerumque per effluvia paludum provocata vexatur: ita et hujus urbes populosissimae, nempe Philadelphia et New-York partim per morbum proxime adlatum, partim per varias febris autumnalis formas, quovis anno multis civium millibus privantur. Numerus paludum in Asia et Africa longè minor. Prior enim illas modo in vicinia fluvii Euphratis, Maris Meotici et in Tartaria; posterior vero in Senegalia, in regno Kaffer, et sub decursu aliquorum anni mensium in Aegypto inferiori alit et fovet. Natura, quod in Asia et Africa neglexisse videtur, id forsitan in Europa nominatim in Andalusia Hispaniae; in Corsica; Sardinia; larga vero, — ne dicam — prodiga manu in Italia supplevit. Ubi regionem Mantuae; — Campum Romanum, qui 8 horarum longus et 2 horarum latus est, quique olim urbibus florentissimis, villisque amoenissimis gloriabatur — desides tegunt aquae. Halitus demum inquinatos, cum Italia media communicat infamis illa palus Pontina, cujus ortum mare et lacus salini, pabulum vero fontes ac pluviae suppeditant.

Paludes zonae frigidae et temperatae.

In Septemtrione, paludum maxime divites sunt: Dania et regna mari Baltico adjacentia. Nulla fere Russiae provincia ab hoc onere gravi immunis est. Sic via publica 200 horarum longa, quae Moscovia Petropolim ducit maximam partem per loca uliginosa transit. Paludes Sibiriae odorem spargunt gas hydrothionici, quod per resolutionem Magnesiaë sulfuricae in iis copiose praesentis, oritur. Terminum hujusce imperii ad mare glaciale situm 100 circiter milliariorum Russicorum longa et in variis locis variae latitudinis palus, aestate notabiliter decrescens obducit. Stagna nec in Finlandia multo minorem occupant locum. Ex multis, quibus Anglia olim abundabat paludibus, in praesentiarum eae tantum supersunt, quae in Comitatibus Essex, Huttingdon et Lincoln conspicere possumus. Hollandiam, quae aliquot abhinc decenniis aquae submersa jacuit, labor civium adsiduus, industriaeque omnibus orbis terrarum populis imitanda, ab haec noxa fere totam liberavit. Maxima pars paludum Austriae regnante Diva Maria Theresia exsiccata est. Licet Galli a regimine inde Henrici IV. omnem nervorum inten-

tionem ad paludes converterint exsiccandas: tot tamen in eorum regno — praeprimis in Praefectura (Departement) Ain sita planitie Solagne ac Forez et in Bresse ac Brenne — ad hodierna usque tempora supermanserunt, ut illae plus, quam 180,000 jugerorum territoria occupent, quae exsiccata juxta calculum Juliae de Fontanelle 7 miliones Franc quotannis importarent et 1 millioni incolarum locum suppeditarent. — Hungaria, regnum hoc omnium naturae productorum fertilissimum, cum maximo civium suorum numero, sive res ad utilitatem pertinentes, sive ea, quae sensus grate adficiunt voluptatique eorum cedunt respiciantur, satisfacit: nec in eo deest, ut unam (quamvis exiguam) incolarum partem, exundationibus crebris, paludibus et morbis ab harum effluvio provocatis vexet. Frequentissimis exundationibus obnoxia sunt loca, quae Tibiscus et Chrysus, undis suis admodum pigris praeterlabitur. Paludes vero memoratu dignae sunt: In Comitatu Beregiensi pal. Szernyensis (Szernyei mocsár) longa 2 lata $1\frac{1}{4}$ milliar. hung. In Comit. Szathmariensi pal. Ecsediensis (Ecsedi tó) longa $3\frac{1}{2}$, lata 2 mill. hung. In confiniis Comitatum Szabolcsiensis, Biharjensis, Hevesiensis, Bekésiensis et Cumaniae majoris palus proprio nomine Sárrét vocata; quae ad minimum 30 miliaria quadrata nunc quoque tegit. In Banatu pal. Alibunariensis (Alibunári mocsár) long. 3. lat. $1\frac{1}{2}$ milliar. et pal. Illancsensis (Illancsai mocsár) per canalem Berzava pro parte exsiccata. Originem ex Lacubus Balaton et Peizonis (Balaton és Fertő tavak) plurimae sumunt paludes. Quarum minoribus silentio praetermissis, majorum tantum faciemus mentionem. Nominatim ex priore oritur pal. Tóth Szent Páliensis (Tóth Szent Páli liget) long. $2\frac{1}{2}$ lat. 1 milliar. hung. Ex posteriore vero pal. Hánság dicta, long. $4\frac{1}{2}$ lat. 3 milliar. — In Comit. Jaurinensi aqua stagnans Szövényháziensis, cujus aquam profundam crusta ex arcte connexis vegetabilium partibus ac humo formata tegit et haec crusta pingui gramine vestita, ab armentis boum et gregibus ovium depascitur. In Slavonia paludes Dombó et Palocsa, haec long. $2\frac{1}{4}$ lat. $1\frac{1}{2}$ m. h.

Proprietates aquarum stagnantium.

Labor, quem Physici et Chemicus ab antiquissimis inde

temporibus in eruendam aquarum stantantium naturam impendebant, assiduus, eo coronatus est successu, ut jam Concisio notum esset, fundum lutosum, aquam stagnantem, radices, folia putrida, reliquias plantarum, insectorum et aliorum animalium omnibus in genere paludibus communia esse.

Membrana, quae in superficie aquarum stagnantium conspicitur, productum sistit solutionis materiarum organicarum, quae radiis solaribus in vaporem conversae superiora petunt. — Membranae huic, coenum, magna elementorum organicorum semiputridorum et infusoriorum multitudine scatens, subest. Superficies paludum, tempore aestatis majori ex parte exsiccatarum interdum retia, ad solis radios splendentia, noctu vero phosphorescentiam et bullas aëreas — signa resolutionis continuae, — sine fine evolutas ostendit.

Physici et Medici de effluviis paludorum natura, variam, variis temporibus habebant sententiam. Columella, Varro et Vitruvius miasmorum animalculorum, visus aciem effugientium myriades in aëre volitantes suppulerunt, — quam conjecturam seriori aëvo Kircherus, Vallisnerius, Linneus et alii, nuperrime autem Macculloch, Barrie, Hahnemann et Siemerling *) sunt amplexi. Argumenta tamen ab illis adducta, vix aliquem persuadere valebunt, nisi existentiam hypotheticam animalculorum, nunquam visorum, nec facile videndorum, admittere placeat. Sylvius particulas salinas et sulfureas; Lancisius utriusque principii connubium; Medici theoriam Lavoisieri sectantes, hydrogenium, carbonium et ammoniam, alii denuo oxygenii penuriam sunt criminati. Hiscæ autem opinionibus adversantur indagines a cel. Spallanzani et Santarelli institutæ, e quibus paucam solum hydrogenii copiam aëri paludoso inesse patuit, atque experimenta eudiometrica ab Alexandro Volta Physiophorum Coryphaeo suscepta, justam semper azoum inter et oxygenium rationem probantia. Neque majus lumen circa essentiam miasmatis paludosi ejusque agendi modum sparserunt analyses chemicae, quibus aërem paludum in sua elementa decomponere studuerunt viri clarissimi Humboldt, Seybert, Amelung, Baumes, Chevreul; **) Tex-

*) Siemerling Entschleierung der Cholera. Hamburg 1831.

**) Chevreul Dictionnaire des Scienc. natur. Paris 1821. T. 12 p. 233.

tor, Balme, Rigaud et Vauquelin. *) Inde quidem compertum habuimus praecipuas partes constitutivas nullas alias esse, quam principia inflammabilia diversi generis, uti: gas acidum carbonicum, azoum, hydrogenium, sulfur, phosphorum, ammoniam et particulas quasdam organicas in vaporis formam redactas. **) Idem probant etiam: processus putrefactionis in solo palustri continuo vicens; inutilitas aëris ejusmodi pro respiratione et alimonia flammae; putor plus minusque gravis, praevalens, tensio electricitatis negativae; nec non spontaneae inflammationes, ac inde originem ducentes ignes fatui, stellarumque trajectiones.

Verum — enim — vero proprietates morbificae effluvi-
 orum paludosorum et praesertim singularis illa febres inter-
 mittentes perniciosas progignendi potestas, ex solis elemen-
 taribus inflammabilium formis explicari nullatenus possunt.
 Id quod unanimi consensu defendunt etiam Monfalcon,
 Naquart et Julia de Fontanelle. Habent reapse
 spiramenta paludum adhuc aliquid sibi privum, quo ab aliis
 generibus mephitum putridarum (quales v. g. cemeteria, se-
 pulchra reserata; cloacae, lanienae, piscinae et s. p. spi-
 rare solent) essentialiter discrepant, ut jam ipse odor pe-
 culiaris et specificus, cum nullo alio comparandus, abunde
 indicat. Componuntur itaque, partim ex elementis phlo-
 gisticis, eudiometri ope determinandis, partim e princi-
 pio specifico, hactenus ignoto, et ex solis, quos in
 organismo humano ponit, effectibus divinando. Cum aliqua
 duntaxat verisimilitudine conjicere licet, illud agens
 (ЕВЕРЫВЪСВОВ) morbidum exhalationum paludosarum, quod
 passim miasma vel mephitis audit, determinantum tantum-
 modo corporum organicorum, processu putredinis in sua princi-
 pia elementaria non penitus dissolutorum productum esse,
 unde a Balmisio, non sine ratione Septonum appel-
 labatur.

Superius meminimus animalium stagna incolentium.
 Quamquam haec viventia plurimos fomites in proprium ali-
 mentum adsumant, quae aquas ceteroquin contemerant: ni-

*) Sur l'analyse des rosées élevées des marais (In Annales cliniques
 de la Société de Médecine pratique de Montpellier livr. XLIV. p. 286.)

**) Über die Sumpfluft. In Gehlen's Physicalisch. Wörterbuch II.
 B. S. 361. — Gilbert's Annalen XVI. B. Seite 359—370.

hilominus tamen utilitatem: quam stativis aquis, sumto pabulo, adferunt, multiplices rependunt nocimento. Spoliis enim faecibus, exuviis, animalium cadaveribus, fracescentium vegetabilium inquinamentis, putridam congeriem, ac teterrimum illud foetidumque coenum efficiunt, e quo desides lymphae, calore solis verberatae, labem, noxamque concipiunt, et circumfusum aërem pestifera replent mephite, unde epivel endemicarum febrium origo repetenda.

Prouti vel effluvia vegetabilium fracescentium, vel contra substantiarum et corporum animalium putredine dissolutorum spiramenta mephitica excellunt, insignis exurgit aëris paludosi diversitas, quae procul dubio ad differentium aegritudinum genesis plurimum contribuit. Prior febribus intermittentibus et cachexiis adfinibus; altera febribus putridis et nervosis malignis patrocinari videtur. Imo non desunt auctores, inter quos eximius *Baumes* eminent, qui dicant: diversos morbos, regiones paludosas vexantes, a praevaletia in aëre eas circumdante substantiarum simplicium oriri. Sic e. g. hydrogenio praedominante, erysipelas; suffocationem et apoplexiam; azoo: cephalalgiam, gastralgiam, leipothymiam et asphyxiam, — gas ammoniacali: febrim putridam et petchialem malignam, dysenteriam, scorbutum, ulcera foeda ac gangraenosa; his omnibus substantiis junctim agentibus: febrim intermittentem comparere.

Modus evolutionis mephitum paludosarum.

Ast nec omni tempore, nec omnibus sub circumstantiis paludes fatalem illam spirant auram. Quousque palustre solum brumali frigore rigescit, vel copiosis, fluentibus, purisque aquis inundatum est, uti post imbres diuturnos, et proluvies accidit; nociva elementa proprio veluti sinu recondit, accolisque vicinis nulla parat damna. Ubi vero ventis australibus aut fervidiori coelo lymphae tutantes evaporant, mortifera terrae lutulentae et quasi fermentatae spiramenta emancipantur, ac summam atmosphaerae insalubritatem adducunt, quae ab ineunte aestate usque ad serum autumnum durare solet. Paucitati igitur aquarum, quae paludes tegunt, earum quieti et exsiccationi, juxta margines plerumque, praecipua noxa est tribuenda, quam aëris malakia auget, ventorum frequentia minuit. Quod odorem diutius servat solum;

quale est ex humo, argilla et turfa conflatum, genesi exhalationum paludosarum magis favet, quam sabulosum vel calcareum. Aqua marina putredini diutius quidem resistit quam dulcis, sed si semel conceperit putredinem, effluvia longe pejora eructat, paludesque hujusmodi aquis prolutae, testante Pringleo graviore ac perniciosiores progignunt febres.

— Exhalationes paludosae majorem ac aër atmosphaericus habent gravitatem specificam, — unde inferiora tenent, nisi radiis solaribus rarefactae attollantur et ventis quaquaversum dissipentur. Hinc fit: 1) Ut aër ad paludes, sub influxu benefico caloris et lucis solaris, licet copiosissime evolvatur, clarus, purus, odoris expers sit, inspiratusque agricolae, totam saepe diem, in campis uliginosis transigenti, minus adferat periculi; quam noctu, ubi ad superficiem paludum et in vicinia earum magis concentratus manere solet. 2) Ut horae vespertinae, obortis praesertim post solis occasum nebulis, maximam habeant in morbis producendis efficaciam. 3) Ut loca elevatiora, quae palustrem uliginem circumdant, et ventis ab infelici plaga spirantibus exponuntur, ipsa planitie interdum vix non infestiora sint. 4) Ut Romae, habitatores contignationum superiorum saepe a febris intermittens immunis vivant, dum contra graviter plectuntur illi, qui infima ejusdem domus conclavia inhabitant. 5) Ut in zona temperata paludes non nisi aestate et ingrediente autumnio; in regionibus tropicis vero toto anno plus minusque febriles morbos, eosque mali moris producere consuescant. Rores nocturni et pluviae morbidam miasmatis paludosi vim temperant, imminentes vero procellae, et praefocans, qui eas antecedit aestus, una cum electricitate negativa potenter intendunt. Licet observationes cel. Ferguson docuerint, arborum cacuminibus effluvia mephitica absorberi, inde tamen sylvarum et lucorum ubertate, noxas soli paludosi minui, vix credendum. Humiditas enim, quam arborum confertorum umbra fovet, atque impeditus ventorum mephites diffantium, accessus, depurando aëri omnino obstant. *) Mephites paludosae, per cutim et membranas pulmonum ac ventriculi mucosae, in organismum penetrantes, non statim post susceptionem, sed lente, diebus, septimanis, quid-

*) Saevamque exhalat opaca mephitim sylva. Virg. Aeneis.

quod mensibus saepe elapsis, nec sub una eademque specie agunt, verum plures morborum provocant formas.

P A R S S E C U N D A.

Mutatio, quam organismus animalis per continuum effluvii paludosi influxum subit.

Praeter aërem, aquam et terram magnum ad animalia influxum exercent alimenta potulentaque, et ad homines etiam educatio tam physica, quam moralis, forma regiminis civilis aequae ac ecclesiastica.

In regionibus paludosis, et quae saepe inundantur, plantae aquaticae solo humido amicae libenter, invito autem eae, quae pro nutrimento inservirent, proveniunt. Unde arbores plerumque degeneratae, fructus earum maturitatem difficile adsequuntur, aquosi, insipidi et sine aromate sunt; frumenta multum furfuris et parum amyli habent; legumina pariter aquosa, et non nutrientia. — Vinum virtute et sapore destitutum. Animalia, quae infelix illa alit regio, sunt pygmaea fere, debilia et rhachitica; viscera eorum praepriis hepar et lien emphraxi, tuberculis et ulceribus obsessa. Potentia et acredine principii in coeno palustri geniti carnes animalium inde pabulum trahentium, piscium praecipue et volatilium, peculiarem contrahunt odorem et saporem ingratum, inque putredinem valde cito transeunt. Capitales boum et ovium species, necessitatibus hominum omnimodo magis idoneae, brevi degenerant; — laete vegetant vero et ingens sibi faciunt corpus sues illae, quarum caro, in regionibus cumprimis calidis, gravissimorum quotidie causam praebet morborum.

Antequam morborum, in regionibus paludosis endemicae grassantium descriptionem adgrediamur, eosque aestimemus, structuram corporis, consuetudines, facultates morales et intellectuales incolarum hujus terrae, primis saltem lineis, operae pretium est, adumbrare.

Incolae terrarum paludosarum corpore parvi, deformes et ita constructi esse solent, ut justa inter caput, truncum et extremitates proportio plerumque desideretur. Cutis externa est subtilis, pallida, maculis non raro hepaticis tecta, extremitates molles, rotundae, musculi tono destituti et

elasticitate, tumidi — effectus nimiae secretionis, non vero
 — ut quidam volunt — pinguedinis abundantia. Capilli,
 coloris lucidi vel cinerei, dependentes; barbae, ad haec, te-
 nues; facies juvenum jam rugis senilibus notatae; oculi lan-
 guidi, aspectus tristis, genae, frons et sclerotica colore fla-
 vo tincta; vox rauca, gutturalis, loquela lenta, confusa,
 ultima vocis syllaba protracta; gressus incertus, motus cor-
 poris minime vividus. Abdomen tumidum, vires jam anno aet-
 atis 25-to incipiunt decrescere, quae a febris continuis
 magis in dies exhaustae, emphraxes viscerum et varia hy-
 dropis genera ab organismo arcere non valent. Functio par-
 tium genitalium, cum sexus sequior, anno plerumque aetatis
 20-mo suam evolutionem attingat, non retinetur modo, sed
 debita etiam energia caret — quod viris secus eximiis Ba-
 mes, Condorcet et Julia contrarium adserentibus, paucitas
 natorum in regionibus paludosis satis superque de-
 monstrat. Si infelices annos a 35 ad 50, — qui pro iis
 merito sunt critici appellandi — (nam a febris endemicis,
 inflammationibus intestinorum chronicis et hydropse enervati,
 inter annos praeactos animam plerumque efflant) — su-
 pervixerint, canam senectutem attingunt. Systema irritabile,
 praeprimis vero nerveum, adeo depressum apud eos obser-
 vatur, ut operationes chirurgicas cum dirissimis doloribus
 jungi solitas, cum stoica ataraxia perferant. Actio syste-
 matis lymphatici ad summum gradum everta est. Unde textus
 cellulosus seroso humore repletus, totum corpus, a tenera
 inde infantia, inflatum; glandulae colli, pulmonum, praeci-
 pue mesenterii, tumidae et morbi inde nati incolis regionum
 paludosarum videntur esse maxime proprii. Affectiones hae
 systematis lymphatici pro effectu exhalationum paludosarum
 primario; defectus vero energiae in systemate nervoso et
 irritabili pro secundo habendus est. Magnitudo viscerum
 abdominalium praecipue hepatis et lienis miranda. Pulsus
 cordis debilis, arteriarum vero mollis et parvus. Ossa sunt
 rhachitica, finesque eorum spongiosi et tumidi. Mundities
 corporis, vestium et domiciliorum ex ligno cum argilla ob-
 ducto aedificatorum et stramine vel polygono aut foliis Iridis
 flavae, sparganii erecti, typhae latifoliae tectorum, — ne-
 glecta. Pro cibo sumunt panem secalinum, mel, carnem suil-
 lam vel piscinam et legumina imperfecta. Bibunt aquam ex

lacubus, ponderosam, insipidam, nauseosam, parum oxyge-
nii tenentem et multa infusiorum millia alentem, quae
Virey ad destruendam sanitatem plus conferre adfirmat,
quam defectum oxygenii.

Physicis his proprietatibus non absimilis est eorum fa-
cultas intellectualis et moralis. Incolae soli paludosi adeo in-
differentes se erga tristissimam suam sortem praebent, ut ne
voluntatem quidem manifestent, illam aliqua tenus corrigendi
Sanitatem propriam et illam charae conjugis ac prolium mi-
nus, quam conservationem integritatemque pecorum curant,
nec desunt exempla, ubi hi infelices, mortem boum et equo-
rum adeo lugebant ut largis diffusi lacrymis solatium vix ad-
miserint, tunc cum dulcis et tenerae uxoris funus siccis comi-
tarentur oculis. Mutuus parentum erga liberos, et vicissim
liberorum erga parentes amor, amor cognatorum et propin-
quorum, Patriotismus, et singulare illud Numinis divini do-
num, amicitia incognita sunt apud illos nomina. Notatu di-
gnum et characteristicum quoque est, quod accolae paludum,
miseriae, malorumque, quibus quotidie luctandum habent,
causam in paludibus et lacubus non modo non quaerant, sed
hoc, moniti pertinacissime negent. Philosophia eorum om-
nis, coecum tantum spirat fatalismum. Religio ibidem in prae-
standis quibusdam caerimoniis, in mera fide consistens, nul-
lum ad actiones exerit influxum. Unde detestabiliora nullibi
locorum committuntur peccata, teterrimorumque vitiorum nulla
regio feracior existit, quam horum; unde tot apud eos ge-
nera superstitionum, et tanta ex his progenitarum strygarum
cohors, quae coecas hominum miserorum mentes continuo ob-
sessas tenent. Incoepta et conatus — sive boni, sive mali —
qui animi constantiam et fortitudinem requirerent, rarissimi.

Cum in regionibus paludosis numerus mortuorum, illum
natorum longe superet, hominibus illae jam dudum privatae
essent, nisi lucri cupido ab oris externis multos quotannis
alliceret. Singulare tandem est, quod ad paludes tot matri-
monia ineantur, quot in opulentissimis et saluberrimis re-
gionibus.

Plures quidem in hominibus latent rationes diversae ef-
ficaciorum paludosorum efficaciae, hae tamen prae aliis in va-
rio gradu dispositionis ad morbos quaerendae sunt. Diathesis
vero haec, plerumque jam est productum causarum occasio-

nalium leviori tantum gradu agentium, quae in organismo renitente eo usque delitescit, donec sub potentiori et diuturniori influxu causarum earundem, aut sub accessu novae prophaseos in morbum manifestum prorumpat. Id ipsum de mephite paludosa, de adstrictione corporis, de frigore humido, diaeta neglecta et nimia organi alicujus incitatione sentiendum. Homines robustos, succi plenos, juventutis rigore fruentes, vegetos, vel et torpidos, sobriamque vitam ducentes prae debilibus, teneris, vario intuitu enervatis et crapulosis, climatis uliginosi injurias longe minus experiri, nemo mirabitur. Sed etiam consuetudo haud proletariam habet vim in obtundenda dispositione ad morbos. Id circo advenae, praesertim qui antea, sub faustioris climatis vixerant auspiciis, dum regiones paludosas petunt, a morbis ibi endemicis longe facilius corripuntur. Si autem primo impetui climatico resistere potuerant, pedetentim indigenarum instar adsvescunt, ac sub protractiori mora minus patiuntur. Somnum ortui morborum, praecipue febrium intermittentium faciliori multum favere, neque profanis regionum paludosarum accolis ignotum est. Unde peregrinatores in paludibus Pontinis, in agro Romano, in stagnis lacus Larii sedulo admonentur, ne somno, in illis locis facile obrepenti, indulgeant.

P A R S T E R T I A.

Classificatio morborum in regionibus paludosis frequentissime occurrentium.

Exhalationes animali-vegetabiles paludum praecipue adficiunt systema lymphaticum, canalem intestinalem, sphaeram cerebralem et nervosam et causant 1. actionem exaltatam vasorum lymphaticorum, glandularum et folliculorum mucosorum, — unde tot ophthalmiarum et degenerationum in membranis bulbi ocularis genera, — angina, pneumonia, catarrhus pulmonalis, tussis, asthma, diarrhoea, dysenteria, cholera morbus — impedimenta digestionis varia. 2. Scorbutum. 3. Chlorosin. 4. Febres re- et intermittentes characteris gastrici, et mali moris, uti: febris intermittens spopectica. 5. Morbi, qui pro genuinis febrium intermittentium posthumis haberi possunt: uti emphraxes abdominales, tabes mesenterica, helminthiasis, oedema, hydrops, ulcera pedum,

elephantiasis, bronchokela, chronicae cutis inflammationes, rhachitis, scrofula, phthisis.

Brevitatis et scopi, quem proposuimus, adsequendi studium injungit, ut omissis aliis morbis, unice febrium, — quae in locis depressis, humidis, nemorosis, campis oryzae colendae dicatis, in urbibus aqua stagnante cinctis, pone amnes lente fluentes, in vallibus montium nivosorum, in regionibus paludosis et inundatis occurrunt, ibidemque vel perpetuam sedem figunt (endémicae) vel sub faventibus circumstantiis super populum grassantur (epidémicae) causae morbificae gratia *αἰετὸς* febres paludum, febres helodes, halopyrae (ab *ἄλος* palus) compelliari solent, faciem, coloribus, qua par est, vividis depingamus.

Febres re- et intermittentes simplices ac malignae.

Febres hae vel interdium, vel noctu incipiunt cum vertigine, horripilationibus vagis, quas ingens cephalalgia ac frigus, hoc vero calor intensus, sitis, tensio epigastrii excipiunt. Lingua pura, pallida vel cum mucro variae consistentiae et coloris diversi tecta esse consuevit. Haec phaenomena morbose sequenti die tantopere silent, ut aeger solitis laboribus semet accingere nihil dubitet. Post apyrexiam ita concessam, novus incenditur paroxysmus, quem horripilationes, in continuum et universalem tremorem transeuntes, cum dorsali myrmekismo, cute livida, anserina, quasi miliaribus obsessa annuntiant. Facies, praesertim extremitates pallent, livent, musculi spastice contrahuntur, cum sensu oblectamenti cujusdam extenduntur membra, quae frigent. — Quod frigus cum spastica in finibus arteriarum contractione, circulum in systemate vasorum capillarum praepedit; unde sanguis in majoribus congeritur vasorum truncis, et quidem maxime in circuli centro: pulmonibus et corde. Dyspnoea et anxietas subnascitur peripneumonica, cum molimine spontaneo circuitum sanguinis per pulmones faciliorem reddendi, mediante respirio accelerato, sublimi et tussiculoso. Eadem ex causa cor palpitat celerrime ac tremat, inde arteriarum ictus frequentes quidem, ast parvi, contracti, non raro inaequales. Dolorosae in epigastrio tensiones, — oris siccitas — sitis insatiabilis, lingua pallida, raro ad apicem et latera rubra. Composito post spatium duarum horarum tremore, ac frigore pan-

latim decrescente, cum vagis adhuc horripilationibus alter-nans redit calor totius corporis. Pallore excusso subintrat so-litus vel et justo intensior superficiei rubor et turgor. Spiritus antea difficilis et anhelosus redditur liberior et tranquillior, pulsus fit major, plenus, fortis. Caput, praecipue regionem ejus frontalem, dolor profundus obtususque occupat. Propter vasa conjunctivae sanguine turgentia, motus oculorum dolo-rificus — apex, latera, saepe tota superficies linguae rubens, sicca — sitis persistit. Hoc stadium caloris durat per 6—12 horas, nec est in ratione recta cum illo frigoris, — frigori enim saepe levi, aestus succedit intolerabilis. Tandem enu-meratis symptomatibus evanidis, anxietate imminuta, pulsu tranquillo reddito, totum corpus sudore recreante mado-scit. Mox blandus obrepit somnus, e quo aeger, continuante ut plurimum adhuc transpiratione benefica, ad speciem saous evigilat. Paroxysmi eodem tempore ordinarie redeunt. Inte-rim dantur casus, ubi iidem vel ante — vel postponunt. Haec febris, frequentissime post 7 paroxysmos finitur. Morbus in subjectis sanis, robustis, plethoricis, bacho li-tantibus vel irritabilibus, si adfectio aliqua localis subitaneae evolvatur, characterem induit inflammatorium. Acti-vitate vero systematis digestorii: ventriculi utpote et intesti-norum, ac cholopoëtica exaltata gastricum sabutra-lem et quidem 1. gastrico-pituitosum, cui propria sunt: lingua alba, crasso et tenaci muco tecta; sapor limo-sus; vomitus mucosus; alvi secessus similes; vermium so-cietas; laxitas compagis solidae. 2. biliosum, qui fre-quentissimus est, et quem praeter communia febris sympto-mata, lingua flava, sapor amarus, vomituritiones similes, vo-mitus fellis flavi aut prasini, sudores profusi, levis hepatal-gia, polycholia, aliaque ejusdem furfuris signa distingvent. Morbus post 7—11 paroxysmos longe durantes desinit. Ty-pus febrium malignarum ad paludes occurrentium nunc re-mox intermittens est ita, ut unus in alterum transeat. Pa-roxysmi praesertim febris quartanae sunt longi. In Bresse nec febris intermittens soporosa rara. Thion de la Chaû-me refert: se aestate fervida annorum 1773 — 5. Adjacii (Aiaccio) observasse milites, in vicinia paludum castra po-nentes, qui febrim tertianam, cui se symptomata apoplectica adjunxerant, laborarunt. Febres paludum Pontinarum, ab

illis aliarum, insignes cerebri adfectiones, impedimenta digestionis conspicua, et decursus impetuosus discernunt.

Omnia helopyrarum phaenomena de affectione organorum digestionis loquuntur, sedemque suam in membrana ventriculi et intestinorum mucosa videntur habere. Hoc probant: sitis Tantalea; aversatio cibi duri et animalis; contra appetitus substantiarum acidularum et vegetabilium; anorexia lingua mucò albo obducta; eadem, cum digestio insigniter impeditur, sicca, secundum longitudinem fissa et in apice ac lateribus rubra; tensio abdominis, nausea, ructus; vomitus; quo materia serosa, biliosa flava et vermes ejiciuntur. Huc accedit peculiaris aliqua morositas et tristitia, kephalaea, stupor, proclivitas ad animi commotiones, delirium mite vel furiosum, stupiditas, lethargia, convulsiones, aspectus fixus, iracundus; pulsus irregularis, interdum parvus, tardus, mox iterum magnus, fortis et frequens. — Aestus intolerabilis; nictitas cutis, quae saepe coloris straminei, cum pulvere griseo obducitur. Morbus saepissime chronicum sibi sumit decursum et successeres numerat hos: obstructions abdominales; diarrhoeam pertinacem, hydropem, leucophlegmatiam, et omnia febris hecticæ symptomata.

Celeberrimo Ronfalcone sectionibus cadaverum sequentia innoverunt: 1. In iis, qui ex febre intermittente decesserunt, mutationes organicae rarius, quam in iis, quos febris remittens abripuit — inveniuntur. 2. Helopyrae zonae temperatae re- et intermittentes concutiant licet sanitatem, eam tamen immediate minime destruunt, mortem vero mediate tantum in sequelam nempe febris lentae, chronicæ alicujus organi inflammationi semet associantis, adferunt. 3. Mutationes cultro anatomico detegendae similes sunt iis, quae febres arti rebelles, phlogosesque viscerum abdominalium lento progredientes passu, post se relinquunt.

Proxime laudatus vir eximius, resultata sectionum anatomicarum ad tria reducit puncta. 1. Membrana mucosa gastro-intestinalis est perfecte sana — sine ullis praegressae phlogoseos vestigiis. 2. Etiamsi forte adsint inflammationis signa, ea cum morbi phaenomenis in nexu non sunt, adeoque considerationem non mereantur. 3. Signa phlogoseos praegressae evidentissima ostendunt viscera abdominalia, inter haec plerumque organa digestionis.

Multi medicorum phaenomena Nro 1 et Nro 2 adlata pro effectu acutae; Nro vero 3 memorata, pro eodem chronicae inflammationis habent. Cui interim opinioni, experientia directe repugnat ita, ut ex resultatis sectionum de charactero morbi iudicare prorsus impossibile sit.

Morbi helopyrarum posthumi.

Indurationes hepatis et lienis inter accolae regionum paludosarum frequentissimae sunt. Simulac haec labes in organis abdominis parenchymatosis incipit, chronica ventriculi et intestinorum phlogosis passu procedit celerrimo; impeditae digestionis et nutritioni succedit emaciatio, interim volumine hepatis et lienis, majus in dies incrementum capiente; color cutis brevi mutatur, facies fit flava, humor in textu celluloso serosus colligitur, leucophlegmatia et askites comparent. Induratio jecinoris et lienis sequenti modo oriri videtur. Durante paroxysmo sanguis a superficie ad centrum pellitur. Dum ita vasa cutis capillaria sanguine destituuntur, interim eadem organorum internorum nominatim hepatis et lienis replentur, eaque de causa magis irritabiles evadunt. Aeger pallidus anxietatem in regione epigastrica et constrictionem in infima pectoris parte percipit. Eodem tempore adfectio ventriculi ad hepar etiam et glandulas mesentericas extenditur. Hoc modo vasa capillaria organorum proxime memoratorum, singulo semet insinuante paroxysmo confestim expanduntur, replentur, denique etiam inflammantur, — quo facto induratio ingruit, sustentataque a febre celeriter crescit.

Obstructio quoque abdominalis productum febris intermittens, quae orta difficillime suffocatur, absoluta vero dominium in propriam genitricem sibi brevi adripit, illam, vel minima occasionali causa data, ad vitam provocando. Causam obstructionis abdominalis sistit abnormis nisus productionis organicae, nunc quantitative, nunc qualitative nunc utroque modo vitatae in crystallisationem.

Hepatis obstructio, bilis secretionem, ejusque in intestina defluxum facili negotio perturbat. Unde non solum digestionis, chylicationis et excretionis alvinae laesio varia, sed etiam biliosi principii, hepatis ope non sufficienter separati ac educti, in humoribus evolvitur abundantia, polychoelia et icterus, — silentio praetereundo multiplicia et se-

cundaria, quae in contiguis et remotis organis inde pullulare possunt, phaenomena. — Obstructio vero splenis solius, praeter tensionem, intumescantiam, ac dolorem hypochondrii sinistri; propriam, si diutius persistat in dies crescens, producit cachexiam splenicam. Cujus potiores characteres sunt: pallor et squalor superficiei non ictericus; scleroticae plumbea decoloratio, animus tristis, langvor universalis, epistaxis frequens; non raro haematemesis rebellis aut vera melaena, nisus in diathesim scorbuticam.

Aliam febrium paludosarum progeniem constituit hydrops, cujus diagnosi non est difficilis; origo autem duplex concipitur. Vel enim a dictis ventralium vitiis pendet, — unde productionis munus redditur imperfectum, et crystallisatio manca, — metamorphoseos regredientis praedominans fit potentia, ac hydrogenesis intenditur, quo simul mechanica conspirat vasorum absorbentium pressio. — Vel vero hydrops immediate ex diathesi febrili et ex turbato inter factores processus organico-plastici aequilibrio, vitae molimine critico non restituendo, praesertim ex cohibito sudore profiscitur. In 1. casu potissimum askites, in 2. anasarca aut levior ejusdem gradus leucophlegmatia evolvitur. Hydrops febribus paludum extricatus, ab aliis cute sicca et fere strigosa differt.

Frequens et fere communis in regionibus paludosis, praesertim iis, quae aqua marina inundantur, est Scorbutus, qui plerumque subjecta, semet cum carne sale condita, nutritia invadit.

Turbae digestionis et sordes in terris uliginosis aequae non rarae, praesentiam suam, anorexia, delasatione, sensu ponderis in regione epigastrica, adipisia, ructu, vomituritione, et statu linguae impuro, kephalaea frontali annuntiat. Potus stimulantes 1. mucii, mox bilis secretionem, tumorem hepatis adaugent. Kephalaea serius intenditur — sapor fit amarus, depravatus, acidus, nausea et horror carnis, appetitio potus frigidi, aciduli; circulus flavo-vividis cingit nasum et labia, — cardialgia et gastralgia atrox; pressione non augenda. Tandem aliquot diebus elapsis diarrhoea biliosa cum ingente kephalaea, vel signis exanthematicis, aut vero febris intermittens, cum typo quotidiano, tertiano vel quartano.

Diarrhoeae chronicae, et doloribus expertis. quae in regionibus paludosis endemice regnat, causas excitantes cibi et potus insalubres, frigus humidum, commoratio diuturna pede nudo in aqua pluviali vel paludosa praebent. Diarrhoeam febris nunc excipit, mox praecedit vel concomitatur. In primo casu ipsa diu durare et mali omnis desorganisationes viscerum in abdomine contentorum progignere debuit. In altero casu, sordes primarum viarum, status torpidus membranae in tubo alimentari mucosae, causam ejus excitantem et suscitantem constituere videtur. Diarrhoeae incolas regionum paludosarum appetitu et viribus brevissimo temporis spatio privant, — faciemque eorum colore tingunt pallido.

Patria dysenteriarum charissima est in regionibus zonae temperatae ac torridae depressis et uliginosis. Prae ceteris Europae regnis nempe **Hollandia et Batavia**, durum dysenteriae, ejusque praecipue speciei, quae a sanguinis nunc majori mox minori quantitate facta evacuatione: rubra — Hungariae **Vérhas** audit — jugum, patria nostra, hujusque loca praecipue exundationibus **Tibisci et Chrysi** obnoxia portant.

Quamvis miasma paludosum plurimum ad febrim paludum generandam conferat, hanc tamen unice et exclusive illius opus esse minime putandum est, memores etiam 1. Clima-
tis humidi. 2. Alimentis pravi. 3. Potus aquae lacuum et cisternarum corruptae. 4. Ventorum. Sic cel. **Lind**, febrim epidemicam, quae annis 1765 — 6 Britanniam vastavit, pro producto venti orientalis, nebulas maris et exhalationes recessus (Ebbe) Angliae continuo adferentis, habuit. 5. Anni temporum. Autumnus praesertim calidus et humidus maxime nocet. Teste experientia, calor nimius et diu durans in regionibus paludosis, exhalationes, earumque in atmosphaera extensionem promovet; pluviae autem aestatis tempore crebrius locum habentes, earum evolutionem et diffusionem impediunt, aërem purgant, aquas stativas corrigunt, effluviaque, nociva fundo adfigunt. Nihil e parte contraria periculosius aestu, tempestate pluviosae statim succedente et valde diu durante. In **Hollandia** — ut **Pringel** adnotavit — morbi epidemici Julio ad finem vergente et ineunte Augusto incipiunt; minuantur, vero, ubi arbores foliis suis spoliantur, et ad primum frigus gelidum penitus disparent. Effluvia pa-

ludosa, vere et hyeme, ubique terrarum minimas sanitati
 struant insidias. 6. Constitutionis aëris. Sic aër diu frigi-
 dus et humidus, glandulas praesertim et membranas mucosas
 adgrediendo febrim re- et intermittentem atque catarrhum
 provocat. In statu aëris sicco ac calido, morbi magis inflam-
 matorii, dysenteriae, morbi digestionis et haemorrhagiae
 dominantur. — Calor atmosphaericus et alimenta prava non
 agunt sine discrimine ad omnia systemata, sed calor et
 aër, ad pulmones, cutim et ventriculum, Alimenta vero
 prava ad sanguinem, quem nempe imparem reddunt reprodu-
 cendae materiae, per continuam organismi actionem amissae
 — et hoc modo fit, ut ipsum vitae pabulum, causa morbo-
 rum evadat occasionalis.

Accolas regionum paludosarum — ut licet — attente
 pervestigantibus non potest primo statim intuitu in oculum
 non incidere, ab una parte evolutio systematis lymphatici ul-
 tra modum eVecta, energiaque vasorum exhalantium insignis;
 — ab alia vero debilitas cordis, vasorum sangviferorum, mu-
 sculorum et systematis nervosi inactivitas. Unde sequitur:
 ab effluviis paludosis actionem systematis lymphatici in alio-
 rum detrimentum erigi, illamque musculorum et nervorum de-
 primi, organaque varia, nominatim canalem alimentarem, me-
 senterium, hepar, lien, pulmones et cutim ad concipiendam
 phlogosim chronicam proclivia reddi. Proximam igitur mor-
 borum paludosorum causam vel activitas systematis lymphati-
 ci exaltata, vel sensiferi et irritabilis depressa constituit.

Febres paludum, characterem epidemicum tunc tantum
 induunt, cum ver humidum, aestus fervidus et diurnus su-
 bito excipit. Durante enim aestate et autumno sicco exha-
 lationes paludosae per ventum australem late diffunduntur. In
 hoc casu organa digestionis stimulorum impatientia effluviis
 paludosis minus reagunt, adeoque morbos eorum facillime
 admittunt.

Natura febrium paludosarum, — sint illae licet spora-
 dicae aut en- vel epidemicae — semper eadem est. In om-
 nibus rerum adjunctis eadem organa et systemata patiuntur,
 differentia tantummodo in plus et minus consistente. Febris pa-
 ludum sub zona temperata et frigida nunquam est contagiosa, —
 quin imo personae harum regionum febriliter laborantes — si re-

licta regione paludosa, in terram salubri coelo circumdatam se conferant, molestiis suis brevi liberantur.

Recidivæ febrium paludosarum adeo frequentes, tam alta functionum nervosarum depressio; sanatio aegri difficilis, remanentes indurationes viscerum abdominalium, naturam morbis unice paludosis propriam arguunt, quod tanto certius apparebit, quanto clarius videmus: organismum ab effluviis paludosis singulari prorsus ratione mutari, ejusdemque evolutionem mirum in modum detorqueri. Interim febres tertianæ et quartanæ regionum paludosarum, ab illis aliarum terrarum nec symptomatum, nec resultatorum sectionis, ratione habita differunt. Activitas nervorum depressa magis constitutioni accolarum, quam immediato horum momentorum influxui superstruitur, quippe quæ debilitas nervosa in extraneis, febrim in locis paludosis decumbentibus non observatur, et morbus decursum habet magis acutum. Recidivæ, difficilis sanatio et emphraxes viscerum abdominalium, actioni miasmatis paludosi continuæ veniunt tribuendæ. Huc accedit, quod eadem momenta, quæ in regionibus paludosis re- et intermittentem febri provocant, eodem tempore alios etiam, nihil privi habentes morbo nisi scorbutum, dysenteriam et hydropem pariant.

P A R S . Q U A R T A .

Remedia; corpus animale ab influxu effluviarum paludosorum tutum praestantia.

Remedium, corpus animale ab influxu miasmatis paludosi nocivo, summa cum certitudine defendens, in fuga et diligenti contactus ejus evitatione consistit. Quod consilium quidam non inepte hoc disticho complexus est:

Haec tria tabificam tollunt adverbia pestem.

Mox longe tarde cede recede redi.

Si cui hoc faciendi potestas denegatur, fugiat oportet tempus anni et diei, quo miasma, maxime perniciosum exerit effectum, — cum primis vero caveat, ne in vicinia paludum noctes transigat. Hoc praesertim locorum elevatorum et montium incolae putent sibi dictum, quos experientia ad influxum effluvi paludosi percipiendum prae aliis proclives esse docet.

Ad aërem paludosum venenata sua proprietate privan-

dum, a variis varia sunt commendata remedia chemica. Sic laudabatur chlorium, cui inefficaci, mercurius sublimatus corrosivus, acidum nitricum et nitras mercurii serius fuerunt subsistuti. Ab his multa individua fuisse praeservata non negamus quidem, ast eadem, absolutam in aëre, a proprietatibus nocivis liberando habere potestatem, cum R o c h o u x i o — agnoscere non possumus. Utilitas ignis, in purgandis regionibus pestilentia exhalationum paludosarum contaminatis, duplex est: 1. quod tractum aëris promovet, 2. vapores ab aëre susceptos et sanitati summopere inimicos adnihilat.

Cum jam saepe accidit, ut milites regnum aliquod paludosum adpellentes, navimque consilio lignum, aquam et cibos comparandi descendentes, dimidiumque vel ad summum integrum diem in terris his detestabilibus exigentes, febris paludum maligna corriperebantur; iis, quos dura necessitas naves conscendere et iter suscipere cogit maritimum, svademus: ut quantum fieri potest, paludes Europae aestatis ac autumnii tempore, easdem vero Africae et Americae meridionalis ante ingressum pluviarum sedulo vitent; resque militum necessitatibus inservientes non ipsi comparent milites, sed cum incolis regionum infelicium curent adferri. Praetores autem exercituum terrestrium, qui cum suis militibus in terra uliginosa teneantur diutius commorari, curent, ut castra, loco elevato — a stagnis — ut possibile — remoto et extra directionem venti ponantur; exercitia militaria saepe suscipiantur; milites, cibus et aqua bonae notae, quibus interdum acetum sit immistum; potulentis bene fermentatis; vino, cremato, calceis crassis altisque provideantur, — locus, quo decumbunt sit elevatus, tentorium et casarum januae vesperi praesertim et noctu bene claudantur, — fumo tabaci et baccarum juniperi ne parcaatur; milites novit in has terras hyeme transferantur.

Hygiene pro incolis regionum paludosarum.

Quod ad domicilia attinet, haec a paludibus remota, si fieri potest, non in planitie, sed in loco altiori ita aedificentur, ut a directione venti sita, tractui aëris exposita ac munda sint; fenestrae eorum tempore anni calido et humido semper clausae serventur. — Aëris cubicula irruentis humiditas, igne nunquam extinguendo mitigetur; starquilinia et volutabra, quorum exhalationes sanitatem orga-

nismi pessumdant, circa domicilia ne tolerantur. Summa omnimode est observanda mundities, quippe quae transpirationem promovendo nobilissimas corporis functiones in justo retinent ordine, et res, susceptionem miasmatis facilitantes, longe dispellit. Corpus cum aqua paludosa non lavetur, — vel ubi propter defectum aquae melioris hoc evitari nequit, illi acetum, herba quaedam aromatica vel sal culinare addatur.

Accolae paludum vestes ex lana vel panno paratas gerant, easque ne tempestate quidem calida exuant. Omnibus praestaret, indusium (ing, ümeg) ex panno laneo tenuiore (Flanell) confectum portare, illudque humore aeris penetratum, illico mutare. Ceterum munus suum semper tecto capite obeant; tibialia lanea et calceos ligneos induant, — vestes humidias diligenter siccent et purgent.

Cibi incolis regionum paludosarum accommodatissimi sunt ii, qui nutriendo stimulant. Hi enim energiam vasorum capillarum augent, viresque organismo, quibus influxui mephitum paludosarum resistere valent, suppeditant. Panis, teste Gröffiero pro iis optimus coquitur ex aequali secalis et tritici ac sexta parte hordei vel zaeae mais. Horum defectum vel parvitatem solanum tuberosum sufficiente supplet, dummodo illud vaporibus, nec in aqua praeparetur. Cibi vegetabiles plerumque aquosi ac laxitatem inducentes sunt. Quare ii semper cum plantis aromaticis uti: salvia, thymo, petroselino, baccis juniperi, et pipere sunt sumendi. Huc accedat quotidianus usus allii cepae et sativi, raphani, cichorei, taraxaci, lepidii sativi, betae, pisi, phaseoli, milii, pastinacae, et rumicis acetosellae cum idonea aromaticorum quantitate. Omnibus his palmam brassica fermentata praeripit. Qua optime nutriens et roborans multum commendanda est etiam caro vervecina, vitulina et bovina, — severe autem interdicendus usus carnis suillae.

Pro potu natura, animalibus, consequenter etiam hominibus, aquam puram destinavit. Cum vero haec, in his terris infelicibus plerumque insalubris, dura, gravis, insipida, imo nauseosa sit: curandum, ut putei et cisternae idonee paratae, bene conserventur, nec deficient machinae, majorem aquis oxygenii copiam conciliantes (Norias). Incolae terrarum paludosarum non minus indigent etiam potulentis fermentatis. Quum autem terra eorum producendo vino ge-

neroso prorsus inepta sit, usus cerevisiae est communis reddendus. Potus adhuc vilioris pretii et aequae salubres praebent illi, qui ex ramis recentibus abietis nigrae, — baccis juniperi et ex turionibus arborum resinosa parantur. Nec succus betulae, saccharo imprimis et cremato correctus, est disuadendus. Incolae ad fructus, ex quibus Cider accipitur — producendos proemiis excitentur propositis. Ex potuum tanto genere et numero, incolis terrarum uliginosarum vix magis accommodatus et viliori pretio comparandus occurrit cerevisia russica (Kwas), quae acidula est, stimulat, antiseptice agit, nutrit — sitim exstinguit, vires erigit, recreat; ventriculum et renes excitat.

Secretionum aliae promovendae, aliae refrenandae sunt. Cum restricto Veneris usu, largam seminis secretionem, quae digestioni multum mali inferre solet, in regionibus paludosis ita consultum est coercere, prouti salivationem et transpirationem cutis promovere. Illa per fumum et masticationem tabaci, haec vero per frequentem, ope panni lanei vel balnei vaporis, cutis frictionem praestatur. Tabacum vi sua acri stimulante fines arteriarum et venarum excitando, aequilibrium inter has et vasa lymphatica, quarum functio, in regionibus paludosis semper exaltata est, restituit.

Occupationes. Incolae regionum paludosarum operi semet accingere post solis ortum, eique finem imponere, ante solis occasum deberent, quo tempore sub dio manere periculosissimum est. Quibus necessitas diuturnam in aquis occupationem imponit, calceos e corio aquam non transmittente paratos, eosque sat altos induant.

Educatio. Ut status hominum paludes adcolentium emandetur, ipsi sani et felices reddantur: omnium primo physica, moralis et intellectualis eorum educatio est reformanda. Incolae regionum paludosarum fere omnium vel optimas spernant coordinationes, ac utilissimos vituperant modos agrum colendi, verbo omnia contemnunt, quae illis faustiores possit largiri sortem, — quia sunt inscii, inculti et indocti. Aëris, aquae et soli reformationem, reformatio hominum praecedat oportet, — secus frustra sudabitur — vel herculei in eos corrigendos conversi laboris effectus inutilis, ephemerisque erit. Illa solum instituta sunt stabilia et illae meliorationes sunt permanentes, quarum

scopus et finis percipitur. Ast capacitas incolarum terrae uliginosae arctissimis circumscripta limitibus, nulli in inconditam eorum consuetudinem faciendae mutationi locum concedit. Infimus ille intellectualis et moralis culturae gradus, quem hi occupant, degenerationem eorum physicam multum superat, et miseriam, morbos ac stupiditatem eorum luculenter ostendit. Huic necessitati nihil exactius satisfacit, quam mutua instructio, quae mature evolutis facultatibus intellectus, remotis educationis impedimentis, sanisque de veritate religionis et moralitatis conceptibus suppeditatis, praecipuam aufert malorum causam — quae in vita eorum separata collocatur. His principiis et formulis convenienter scholae pro agricultura, et instituta pro puellis deberent erigi et in his conjuges simul et matres, formari ac educari, quarum quippe educatio, tamquam res in republica summi momenti, debita esset attentione dignanda.

Medicus quidam Gallus, ad vim effluviolorum paludosorum frangendam saltum, qua remedium potentissimum commendavit. Neque injuria. Saltus enim motum sanguinis et aliorum humorum, transpirationemque promovendo, organis omnibus robur conciliat, et magnum ad obstructions abdominales reserandas exerit influxum. Ad hunc finem Foderé festa et lusus saepe indicendos esse censuit. Idea quidem non contemnenda — quatenus homines sibi invicem adproximare, eosque mutuum amorem docere intendit — sed non prius, quam post educationem, — qua principium reformationis — inceptam, in effectum ducenda.

Ad remedia, quae damna ex influxu effluviolorum paludosorum redundantia, leniunt aut penitus tollunt

Referimus: imminutionem numeri aquarum stantivantium, et exsiccationem lacuum, vulgo ranarum receptaculum (békavár, grenouillards — Froschbehälter) appellatorum. Paludes latae et longae extensionis saltem ex parte, culturae reddantur capaces, eae praepriis, quarum fundus humo constans largam messem promittit. Hoc scopo, terrae pedetentim in altum congestae, aquarumque defluxum arcentes removeantur, fossae purgentur, canales et aquaeductus aedificentur. Vicinia paludis aestate exsiccatae periculi plenissima est. Hoc enim anni tempus, et immediatus fere aëris

cum coeno contactus exhalationem — ut supra monitum est valde adauget. Curandum igitur ut paludes aqua semper abundant, quippe quae ita minus exhalant. Paludes profundae sed non latae et altis ripis cinctae sanitatem minime tētant. Miasma enim semper ex fundo paludum evolvitur — at si hic aqua sufficiente tectus sit, illum radii solis non facile adeunt; evolutio ita miasmatis minor erit.

Arbores circa paludes plantatae, sanitati regionum multum prosunt, terramque ejus utiliore reddunt. Multae arborum species, uti populus et salix, in aqua, dummodo ejus quantitas per fossas et canales moderetur, libentissime vegetant. Lutum radicibus plerumque harum arborum adpositum, tractu temporis, stratum novae terrae conformabit, ex quo ingens vegetabilium multitudo progerminat, tandem etiam alni et fraxini. Vegetabilia gas carbonicum absorbent, oxygenium vero exhalant et ad atmosphaeram corrigendam duplici modo symbolam suam conferunt: 1) Gas hydrothionicum aestate ex paludibus evolutum dissolvendo; 2) per umbram ramorum, miasmatis paludosi evolutionem cohibendo.

Dum ita laudes arborum ad paludes sitarum canimus, nec damna sylvarum paludes circumdantium possumus silentio praeterire, — quae nempe humores atmosphaerae sanitati infensissimos sustentant, et liberae aëris circulationi obices ponunt. Hoc fit imprimis in illo sylvarum situ, quo nullus vento septemtrionali aditus conceditur. Ad haec, sylvae paludum quoque exhalationes limitant, eoque ipso urbes adpositae, ab influxu earum nocivo raro, semet defendere possunt. — Ex regionibus paludosis, residua plantarum, radices, caules, folia, et rami diligenter amoveantur, — novae viae sternantur — usu contritae reparentur, — fluvii navibus portandis idonei reddantur, — canales plures ducantur, quorum ope aquae stativae derivari et agri obtineri possint.

Ne cultura oryzae, cibum adeo nutrientem largientis sanitatem offendat organismi, consultissimum est, agrum oryzae colendae destinatum, primo quoque a plantis parasiticis et reliquiis vegetabilium ignis ope purgare; ipsam terram mediante aqua fluvii et non stagni, lacus, aut paludis irrigare, aquam inde post maturitatem granorum et ante exsiccationem calamorum statim derivare, et hoc facto messem

incipere, — putredo enim calamorum et aquae hac unica ratione evitari potest. Cultoribus oryzae calceos alti cothur- ni et cruris similis commendamus.

Quod ad macerationem cannabis ac lini attinet. Manipulatio haec sanitati adeo inimica, non in stative, sed in fluente aqua, et a domiciliis ac viis publicis, ad minimum 3000 pedum distantia suscipiatur. Cum, autem, — quod summopere dolendum est, — haec manipulatio in aqua stagnante felicius succedat — stricte observandum est: ut operatio in fossis adprime tectis peragatur, haeque illo tantum momento aperiantur, quo cannabis et lini eximendi necessitas instat. — Defectus vero solis radiorum per cineres et calcem carbonicam suppleatur. Maceratio lini et cannabis in fluviis suscepta, piscibus non nocet, nam aqua, quae in contactum cum dictis plantis venit, omni momento et dicto citius mutatur. Qui cum pectinatione cannabis et lini occupantur, varios sibi contrahunt pectoris morbos, qui per festucas — ut Loiseleur Deleuchamp putat, minimas a cannabi separatas, et in tracheam ac ramos bronchiarum subtilissimos pervenientes, producuntur. Hi morbi initium a tussi et doloribus pectoris obtusis sumunt, quibus, serius inflammatio, tandem suppuratio semet adsociant. Ad mala proxime adlata, avertenda, non ab re esset, operationem loco amplo peragere ita, ut operatores, dorsum, vento obvertant, faciem, os et nares cum aqua et aceto saepius eluant, et ad levissimum nauseae, cephalaeae, anorexiae ac gastrodyniae sensationem, auxilium in remediis emesim vel catharsim provocantibus, quaerant.

In emendatione regionum aquis stantibus submersarum radicali reipublicae subsidium plus, quam omnium medicorum conamina valebit. Huc spectant: alveorum, excavatio, constructio aggerum et molium ad praepediendas inundationes, et stagnantium aquarum, lacuum, nempe ac praepimis paludum exsiccatio. Haec jam regimine jubente in pluribus regnis tentata et in multis felici coronata fuit successu. Sic paludes Pontinas, gravissimum illud Italiae flagellum, per canales, fluvios et torrentia, quae extra paludes scaturiunt, suscipientes feliciter successit emendare, ita, ut maxima in corde omnium alatur spes, regionem illam, quam halitu pestifero implet — a seminario hoc morborum

malignissimorum brevi liberatum iri. Non absimili ratione exsiccatae sunt paludes plurimae in Anglia — in insula Jamaica, in Pensylvania. Gallia, annihilatione paludum, quae Lutetias Parisiorum, — Burdegalam, Lugdunum, Aureliam Marsiliam, aliasque urbes, oppida et pagos, ingenti premebant malorum labe, multum in re industriae, culturae, praesertim sanitatis lucrata est. Prope Petropolim in Russia, horti, iique amoenissimi occupant locum paludum, non multis ab hinc annis foedissimarum, quae vulgo Nerva appellabantur. Sed non terris solum exteris, tantis industriae civium et vigilantiae regiminum monumentis contingit gloriari. Nos quoque incolae Hungariae, qui praee aliis Europae populis, plurimum ab exundationibus fluviorum, stagnis, et paludibus passi sumus, habemus cur ex animo laetamur, cum ejusmodi Regis Augustissimi, ac omnium, quot quot sunt vel fuere Humanissimi sceptro parendi habemus fortunam, Cujus oculos vigilantissimos, nec illud regni incommodum effugit, Cujusque cura paterna, et voluntas benignissima, huic succurrendi, eo ipso momento, quo rescivit, paratissimam se praestitit, Regiam denominando Commissionem, quae de statu Comitatum exundationibus obnoxiorum, stagnorum et paludum, fide dignam faceret relationem, simulque planum, quo haec regni plaga averti, saltem mitigari possit Regiae Suae Majestati substerneret. Bona, quae ex operatis harum Commissionum in patriam nostram redundarunt, digne aestimatorum tantum Banatum, Comitatum Veszprimiensem, partem Comitatus Bihariensis, quam Chrysius lambit et Comitatum Békésiensem velit peragrare et statum horum praesentem, cum illo, quem illi, tribus vel quatuor decenniis ante haec habuerunt, comparare. Incolae hujus ultimi Comitatus, nempe Békésiensis, Regi gloriose regnanti, Patrique Patriae optimo, et post hunc Dominis suis terrestribus, voluntatem, Principis, in effectum statim deducere nihil dubitantibus, inter hos vero beatae et nunquam oblivioni tradendae memoriae Ill. ac Magn. L. B. Josepho Wenchheim Com. Aradiensis Supremo Comiti, qui ut Patriae suae bonum promoveret, subditosque suos non a miseriis solum liberaret, sed felices etiam redderet, nec laboribus, sanitati, ejus tot bonis pretiosissimae insidiantibus, nec expensis sumtibusque pepercit, dummodo aggeribus exundationem impediret, cana-

libus vero aquas stagnantes deducat, quique emolumento patriae flebilis, nullis vero flebilior, quam suis subditis praematura adeo morte ereptus est; in acceptis gratissimo, quae possunt animo referunt, multa illa jugerorum millia, in quorum pratis amoenis armenta bouum bene pastorum, mugitibus, et greges ovium laetis balatibus auras nunc implent; — agris vero fertilibus varia frugum pinguium genera superbiunt, — tot inquam jugerorum millia — in quibus accolae non multis abhinc annis remos duxerunt, et sic collegerunt scirpos et arundines, quorum vili pretio miseram sustentabant vitam, et ova, quae huc tanquam inaccessa loca, ab avibus aquaticis copiose sunt deposita.

Therapia febris paludum.

In methodo curandi eligenda, praesertim mutationis, quam organismus per influxum miasmatis paludosi subit, — debemus habere rationem.

Advena flore juventutis gaudens, robustus, et succulentus, qui dum in regionibus paludosis commoratur, in febrim incidit, alia tractatur ratione, quam indigena. Temperamentum et constitutio individualis, potentem in naturam febrim exerit influxum, quippe quae, acutum in advenis et chronicum in indigenis servans decursum, nos diversam adornare jubet therapiam.

Modi, quibus medici febrim paludum hucusque oppugnatum ivere, tres existunt, nempe: 1) per antiphlogistica, 2) per emetica et purgantia, 3) per Chinam.

Vehementer errant, qui unicum et efficacissimum contra helopyras remedium, in sanguinis evacuatione quaerunt. Casus enim non sunt rari, in quibus mutatio, quam organismus per actionem miasmatis paludosi ininterruptam patitur, in vasorum lymphaticorum functione, cum damno systematis sanguiferi exaltata, consistit. Evacuatio sanguinis — incipiente febre, momento paroxysmi, pulsus frequente, lingua rubra, et calore ardente, in individuis juvenilibus, sanguineis, robustis et irritabilibus, praecipue si se Enkephalitis, gastritis, et enteritis socias febre addiderunt, indicatur. Carroni praxim amplissimam Annecy exercenti, duo tantummodo casus semet obtulerunt, in quibus sanguinem mittere coactus fuit. Venaesectio, secundum mentem De Lort-

mii frequentissime indicatur in advenis robustis, quae usum chinae semper praecedere debet.

Febres paludum sub zona temperata in indigenis rarissime imponunt necessitatem evacuandi sanguinis, quae semper cum summa praecautio est suscipienda. Exorbitantia systematis sanguiferi per decocta emollientia Althaeae, hordei, Graminis; potus refrigerantes, et pediluvia irritantia insigniter compescitur.

Usus emeticorum in regionibus paludosis vehementer invaluit. Interim tunc tantum cum utilitate praescribuntur, quando febris, phaenomenis ad sordes primarum viarum indigitantibus stipata incedit. Potioni stibio opiatae Peyssonii ex Tartari emetici grano uno, aquae uncis octo, Syrupi Diacodii uncia una, Gummi arabici scrupulo uno et aquae Naphae drachmis duabus constanti, fere specificam in sanandis febribus paludum tribuit naturam cel. Jourdain, qui eam in aegris, quos tractavit, sequenti modo applicuit:

Aegro forti ac viribus valenti dedit ex potione stibio-opiata hora 1-ma uno cochleari cibario; hora 2-a duobus cochl. cib.; hora 3-a tribus c. c. et sic porro doses augendo ad prandium; — horis duabus post prandium iterum 2-bus cochl. cib., sic ascendit iterum omni hora. Si aeger debilis erat, nec cibo duro indigebat, exhibuit illi omni hora uno cochl. cib., et temporis intervallum reduxit ita, ut tandem aeger omni $\frac{1}{4}$ hora uno cochl. cib. sumeret. Haec procedens ratione ex 72 aegris febris intermittente simplici decumbentibus 55 restituit. Febris in 20 casibus uno veluti ictu pulsa est. Eadem in 14 infirmis cum secundo; in 12 cum tertio; in 11 cum quarto; in uno cum quinto paroxysmo disparuit. Paroxysmi posteriores prioribus semper mitiores erant. Sex aegri, medicamento praemature seposito, recidivam passi sunt. Octo individua febris intermittente detenta, in quibus primum irritatio membranae mucosae gastro-intestinalis per antiphlogistica debuit removeri, sanitatem simili modo recuperarunt. Potio memorata, post sublata tubi alimentaris irritationem in genere videtur indicari et ipsi chinae praeferrri. — Ex 17 personis, quas febris et intermittens cum gastro-enteritide vexabat, per usum hujus remedii 11 sanatae sunt. Morbus in 4 aliis ingravit.

cebat; duae per alternativum usum potionis dictae et sulfatis chininae, sunt restitutae. Consultissimum est, debilitata in antecessum tubi intestinalis phlogosi vel irritatione, potionem stibio-opiatam cum chinina exhibere. Cel. Broussais curam suam ab antiphlogisticis inchoat, et sic immediate transit ad usum sulfatis chininae.

Usus vesicatorii et sinapismi, in quantum internae congestionis renituntur, vituperandus non est, videndum tamen, ne durante paroxysmo, in adfectionibus a symphoresi repetendis adplicentur. Ubi remedia proxime memorata vel adplicari nequeunt, vel adplicata sine successu manent: magnam praestat utilitatem balneum vaporis a cel. Rapon praecipue elatum laudibus. Balneo autem huic aegri durante frigoris stadio immergantur, scopo illud abbreviandi et simul sanguinem ab organis centralibus ad cutis superficiem alliciendi.

Purgantia, ex his vero Calomel in Anglia maximam sibi adquisiverunt famam, quae cel. Monfalcon ea solummodo porrigit occasione, qua febris intermittentem, subinflammatio tubi alimentaris, meteorismus et obstructio concomitantur, et pro casibus praetactis Oleum Ricini commendat.

China omnium remediorum tonicorum potentissimum largitur febrifugum. Effectus ejus, e phaenomenis, quae usum internum excipiunt, judicando, in statu ventriculi irritato consistit, quem caloris, sensus in regione epigastrica, nausea, vomitus, rubor linguae, pulsus citati probant. China, tempore apyrexiarum tutissime et simul citissime ag. — contra periculosa, in paroxysmo, ubi tanta subinde subsequitur organismi reactio, quae organa nobiliora, pulmones nempe et cerebrum facile in consensum trahit. China non praecipitanter et momento semper remissionis exhibita suam celebritatem etiam in febribus remittentibus suffocandis tuetur.

Incongruus Chinae usus plus nocet aegro quam prodest. Morbum enim sustentat, imo auget — non raro autem hepatitisdem, splenitidem et mesenteritidem cum hydropo ac emphyraxi viscerum abdominalium progignit.

Paroxysmo durante — Auctores quidam hirudinum adplicationem in regionem epigastricam, siccam cutis frictionem, in stadio frigoris infusum chamomillae cum aethere, in illo caloris vero potum acidulum commendant. Finito paroxysmo

statim praescribunt pulveris Chinae ad minimum drachmas quatuor, duabus horis elapsis drachmam unam, sicque post horas duas scrupulos duos et sic porro. Modificationem tamen hujus regulae necessariam reddunt febris intensitas et constitutio aegri individualis. Si laudata curandi methodo non obstante, alter se insinuat paroxysmus dosim primam cum duabus et tribus drachmis augment. In casu emansiois paroxysmi, ab usu chinae non illico recedunt, sed illum, dosi licet sensim reductioni ultro quoque continuant.

Communissimum commodissimumque praeparatum sistit connubium chininae cum acido sulfurico: sulfas chininae, chinina sulfurica, utpote qui tuto agit, nec uti china — ventriculum gravat et molestat. Notandum autem, hoc praeparatum, contra febres paludum malignas in magna dosi esse ordinandum. Sic Maetinet in vicinia Pisae, ubi febres valde pertinaces et rebelles inveniuntur, sulfatem chininae ad 20—30 grana debuit praescribere, ut voto suo satisfaceret.

Febres paludum tractantis considerationem nunquam effugere debent etiam chronicae obstructiones viscerum abdominalium, diris praesertim doloribus, febre, emaciatione, virium lapsu, digestionem impedita et askite comitibus incedentes. Praeparata chinae in his casibus nocent. Audouard optimo cum successu contra tales adfectiones praescripsit serum lactis cum Laudano liq. Sydenhami. Nos chronicas viscerum abdominalium obstructiones, quamvis ab enumeratis symptomatibus immunes, autocratiae naturae nunquam committendas, verum per repetitam hirudinum applicationem, serum lactis — extracta plantarum amara, remediaque solventia oppugnandas esse censemus.

Hydrops, dysenteria, pedum ulcera, et alii morbi in regionibus paludosis saepius occurrentes, peculiarem ac propriam medendi methodum non exposcunt.

Theses defendendae.

1. Mors absoluta non existit.
2. Processus vitalis idem est cum processu galvanico.
3. Hepar praecipuum adsimilationis primae organon.
4. Respiratio post partum locum habens, per dokimasiā pulmonum hydrostaticam non probatur.
5. Mater, quae sobolem suam lactat, et sanitati et formositati suae prospicit.
6. Congruum diaeteticum regimen primum in omni morbo remedium.
7. Male sanitati consulit, qui omnes influxus nocivos anxie fugit.
8. Quo therapia simplicior, eo melior.
9. Febris symptoma distingvenda a febre morbo.
10. Amicorum consortium optimum hypochondriacis remedium.
11. Pulsus infidum morborum signum.
12. Fumigatio herbae Nicotianae Tabaci post partum digestionī inimica, nec secus vitae amica.